

SCRIPTA

Numéro Scripta : 244

Autre(s) référence(s) : Tabuteau 399

Auteur(s) : Guillaume de Briouze [particulier]

Bénéficiaire(s) : Saumur, Saint-Florent (abbaye)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1093, 11 décembre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Dédicace de l'église de Saint-Gervais de Briouze par Serlon, évêque de Sées, le dimanche 3e jour des ides de décembre, et confirmation solennelle, par Guillaume de Briouze, Philippe son fils et Guillaume de Crenella, son neveu, de tout ce qui a été donné aux moines de Saint-Florent, tant en Angleterre qu'en Normandie. Le lendemain, Unfred et Hugues, prêtres, renoncent à toutes leurs prétentions sur ladite église de Saint-Gervais

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Marchegay Paul, *Chartes normandes de l'abbaye de Saint-Florent près Saumur (710-1200)*, MSAN n°30, 1880, n° 17, p. 685-686.

Texte établi d'après a

Anno incarnationis Domini millesimo nonagesimo tercio, tercio idus decembris, die dominica, dedicata est æcclesia S. Gervasii de Braiosa a Serlo, Sagiensi episcopo. Qua quidem die, fecit Guillelmus de Braiosa relegi et commemorari, in conspectu suo et Philippi filii sui aliorumque baronum suorum, donaciones quas, diversis temporibus, fecerat S. Florentio et ejus monachis, tam in Anglica terra quam in Normannia. Et quia filius ejus Philippus, quibusdam subortis simultatibus, minus claro et pacifico animo donaciones antea factas concessisse videbatur, eo profecto die, cum jam episcopus, sacris indutus vestibibus, altari mox sacrato missam celebraturus astaret, in presentia ipsius, cleri quoque ac populi circumstantis, iterum donationem rerum earundem fecerunt Guillelmus predictus filiusque ejus Philippus, Guillelmus quoque de Crenella, nepos ipsius, cum cultello Armelli monachi ; quod ipsi tres, pater scilicet filiusque ejus ac nepos ipsius, manibus suis posuerunt super altare. Quod viderunt : episcopus Serlo, Balduinus et Guido archidiaconi, Hugo dapifer episcopi, Guillelmus Paganus, Unfredus presbiter, Odo de Fraxineto, Herbertus filius Gunduini, Richardus de Meriaco.

Sequenti die, id est secunda feria, concessit et perdonavit Deo et S. Florentio, bono animo et spontaneo, Unfredus presbiter quidquid juris antea reclamabat et calumpniabatur in prædicta æcclesia S. Gervasii. Et similiter fecit Hugo presbiter, id est perdonavit et quietum clamavit quidquid juris ibi se habere dicere solitus erat. Actum in domo monachorum, die predicta. Qui autem viderunt et audierunt sunt Guillelmus de Braiosa, Philippus filius ejus, Odo Rufus, Herbertus filius Gunduini, Radulfus filius Odonis, Rotbertus de Cancereis, Rotgerius Boterels, Gosbertus, Morinus de S. Andrea, Galterius de Falesia ; et hii qui cum Hugone presbitero erant : Pringaldus, Odo archipresbiter, Hugo de Aquinvilla, Guillelmus filius Pagani ; et hii : Guillelmus Brunus, Robertus Gobio, abbas Guillelmus, Albaldus monachus, Moricius monachus, Goscelinus monachus, Drogo monachus, Rannulfus monachus, Armellus monachus, Bartholomeus monachus.

